


Quinta etas mundi



Regni Persarum principium

Cyrus primus rex Persarum potentissimus hoc anno: qui est trigessimus captiuitatis iudaice annus. Et quinquagesima quinta olympias: persis regnum et imperium instituens. regnauit annis. 30. Hic Astyagis medorum regis ex Mandana filia nepos fuit. Qui ut herodotus et iustinus tradunt Astyagem deuicit. Et regnum eius in persas transtulit. dominisque multis ciuitatibus rebellantibus aduersus Balthasar caldeorum et babiloniorum regem bellum intulit atque eum deuicit: quo deuicto eius regiam babiloniam superbissimam urbem statim subuertit. Postmodum aduersus cresum lydorum regem: qui babilonijs auxilium tulerat profectus est. Quem sine ullo negotio fudit et cepit: ablatisque ei omnibus sui regni rebus vitam miseram ducere coegit. Cumque Cyrus asiam totum pene orientem in suam redegisset potestatem: Scythias etiam bello adortus est: quibus cum Tamiris regina preerat: ac primo quidem prelio cum Cyrus regine filium omnemque eius obruncasset exercitum: haud multo post et ipse ab regina compositus in montibus insidijs cum omni exercitu deletus est. Nam Tamiris cum audisset suorum cedem et filij vnica mortem: non femineo more se dedit in lacrimas: sed cum residuo exercitu in montibus simulata diffidentia propter acceptum vulnus cum insidijs refugit. Ac Cyrum ad montium cacumina angustias perduxit: ibidemque eum cum ducentis milibus obruncari fecit: Ita ut ne vnus quidem tante cladis supserit. Quibus gestis Tamiris statim inter cadauera corporis Cyri exquiri mandauit: Cui comperto auferri caput et in vtre sanguine suorum plenum immitti precepit: ut quasi superbo regi dignum exhibuisset tumultus dixit. Sume cyre sanguinem quem semp sitisti: eius tamen truncum in pasargadas urbem delatum in hortis sepelierunt. In cuius tumulo tale epigramma fertur fuisse inscriptum. *O homo ego Cyrus sum asie rex. qui persis impium constitui.*

Persia autem asie maioris regio est: que a persio Acrisij argiuorum regis nepote nomen accepit. In qua persipolim ipsius regionis caput condidit. Quam postea greci regijs concrematis vastauerunt hec itaque regio Caramanis bactrianis ac medis contermina est: Et in multos diuiditur sinus. Quam Laertius libro quarto de gestis Alexandri magni optime describit. Ipsa quippe montuosa pmaxime est. Et propter estum ac ventos fructuum inops esse prohibetur: in ipsa tamen celeberrime vrbes esse referuntur. praesertim ipsa Persipolis et Pasargadas ac plurime alie que sunt in Sabijs superioribus partibus eiusdem regionis. Inter persiam autem et Susam que ab Arphaxat medorum rege magnis structuris edificata fuerat. Quedam montana prerupta interiacebant: quam postea Cambises regis filius suo adiecit imperio: eius autem imperium et si aliquando pmaximum fuerit: postea tamen a Macedonibus parthisque diminutum et dilaceratum fuit. Perse autem a Membroth gygante primum edocti pro deo Solem et ignem coluerunt: et Lune minereque sacrificauerunt. sed nunc relictis ydolis illi Abumeteam legem sequuntur. Persica autem poma ut Plinius libro. xv. ab hac auecta ferunt. Illustrat adhuc persipolis regio seu ciuitas beatissimi Georgij martyris triumpho.

Anaximander



Anaximenes



Anaximander philosophus et medicus celeberrimus primo milesius Laetis auditor ac in eius scola successor his temporibus (ut Eusebio placet) floruit. Qui cum primus celestia docuisset: etiam primus horostopia fabricauit ac maris et terre circuitum primus descripsit. netnon et materiales speram construxit. Et propterea Plinius libro scdo eum peritissimum astrologus dixit. Obijt denique sexagesimo quarto vite sue anno. Fuit et alius Anaximander milesius historicus non ignobilis de quo Laertius scribit.

Anaximenes philosophum pariter et physicum Anaximander hic habuit discipulum: et quidem clarissimum. Qui principium aerem dixit et infinitum moueri sydera non supra terram sed circa ipsam. Obijt vero (ut Laertius ait) ea die qua et Sardis capta fuit.